



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per  
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum  
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat  
scelerum Ultor Deus**

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.**

Concio XXI. Dom. II. post Pascha. Lupa femina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

59 59

## CONCIO XXI.

DOMINICA II. POST  
PASCHA.

*Lupus rapit, & dispergit oves. Joan. 10.*

## Lupa femina.

A.  
Romulum  
ac Remum  
à lupa  
enutritos  
esse fabula  
est, ad  
Urbis  
Romanæ  
famam &  
gloriam  
per orbem  
tuendam  
conficta.



Minosum simul & prodigiosum est AA. quod de primis Romæ fundatoribus memorant historiographi. Erant illi Romulus & Remus, Gemelli ex Ilia nati, per Amulium aëstrò invidiæ percitum homuncionem rapti, jamjam Tiberi mergentibus quos pastor Faustulus exitio subtractos, Laurentiæ uxori suæ lactandos dedit & clariculò educandos. Sic Laurentia nutrita facta est horum fratrum Romuli ac Remi. At quæ fuit Laurentia? hæc sicut à pluribus adulteriis & immanibus libidinum spurcitiis *insatiabilis lupa* passim nuncupata est, ita cum lacte suos pariter mores & amores cyprios Romulo ac Remo infillavit. Adultiores facti, erubuit uterque, quòd à Laurentia insaturabili lupa & bubulcorum pellice nutriti ac educati esse dicerentur. Ad tumulandos rumores hosce, præsens fabula ficta est, Romulum & Remum lupino lacte à silvestri lupa pastoris in tantos heroas adolevisse, ut famosissimæ Urbis Romæ primum lapidem ponsent. Sic infamiæ, quæ ipsis per Laurentiam nutricem accrevisset, non tantùm ambo fratres subtracti sunt Romulus & Remus, sed ipsa etiam Urbium Regina Roma. Hæc prima & potissima fabulæ hujus ratio fuit. Aliam præter hanc dat (1) Aug. aitque, olim apud Ethnicos prohibitum fuisse, ut nulla meretricum effigies in Deorum fanis palàm erigeretur; cum autem in recens à fundamentis extructa Urbe Romana Romulum & Remum tanquam Urbis fundatores publicis honoribus prosequi vellent Romani, utrumque supæ supposuerunt, quasi lupino lacte saginatos; fuitque hæc imago ita ubique recepta, ut eadem annullos & urbis

(1) S. Aug.  
l. 6. de  
Civ. c. 7.

urbis etiam insignia condecorarent, revera tamen lupa hæc erat Laurentia pellex adultera. Ab hac omnes hodie meretrices & infamia scorta *lupa* dicuntur; unde apud Latinos etiam hæc duo turpia & obscæna vocabula profluxere *lupor*, *lupari* & *lupanar*, illud luxuriæ aucupium, hoc domum meretricibus habitata designat. Idem *lupa* vocabulum omnibus proflibulis tribuunt historiographi tam sacri quam profani & Oratores: S. Cæsarius Arelat. (2) Ep. S. Thom. (3) Cantiprat. Theoph. (4) Raynaudus & alii sine numero. Ante Christum natum hoc titulo jam notavit effrontes mulierculas ipse Cicero, cum Milonem suum (5) contra Clodium defenderet, de quo publico è rostro hæc dixit: *semper secum lupas ducebat Clodius*. Causa vocis hujus à lupabus ad obscænas pellices translata, duplex est proprietas, quæ maximè *lupa* notantur. Primò *lupam* urget continua fames, quæ in femella longè semper ardentior est quàm in lupo masculo. *Insaturabilibus prada relicta lupis* canit (6) Ovidius. Quod tripus lupis sufficit, vix unam exsaturat lupam. Sic iterum Ovidius (7) *ad multas lupa tendit oves*. Lupus unâ oviculâ famem explet, lupa verò alteram & alteram rapit & prædatur. Secundò nulla lupa lupo suo fidem servat integram; in venerem præceps suo pro lubitu & effero impetu frangit fidem ac promiscuè lupis miscetur. Binis hæc qualitatibus quævis pellex dotata est, cur ergò non pariter *lupa* titulo insigniatur? Pellicum desideria insaturabilia sunt; pellicum intemperantia & avaritia carent fundò. Magnus est amor cyprius, quò in feminas viri exardescunt, at longè majori æstu in viros flagrant femellæ. Id pridem in sexu feminino agnovit (8) S. P. Basilius & post ipsum S. P. (9) Chryf. Sic etiam hac de re sentit ac loquitur Alb. (10) Mag. & (11) Tiraquellus. Ratio hujus exundantis æstus in feminis est cerebri feminini debilitas, mollis earum & fragilis natura, major ab intus flamma toras ebulliens & fluxus ut ajunt menstruus; hinc etiam citius præ masculis nupturiunt, & promptius frigentem brumam forinsecus à corpore ob intrinsecos calores profligant quàm viri, cujus evidens argumentum præbet levior vestitus etiam hyeme feminis receptus, illis maximè, quæ projecto pudore ad enorme scandalum Veneris domicellæ colla sua denudant, utut niveus

Bh 2

aquilo

B.

Femine meretriciæ reslè dicuntur  
*lupa*  
 duplici ex causa, fame scil. ac libidine.  
 2) S. Cæsar. l. 10, c. 34.  
 3) S. Thom. Cantipr. l. 2, c. 40. n. 45.  
 4) Rayn. t. 9. in Mar. Egypt.  
 5) Cic. pro Mil.  
 6) Ovid. (7) Idem 3. de arte.  
 8) S. Basilius. 1. de ver. Virg. c. 5.  
 9) S. Chryf. 1. de Virg. (10) S. Alb. M. 1. de arcan.  
 (11) Tiraq. l. 12. de anim. c. 3.

- (12) Plut. in sympos. aquilo graffetur. Addit Plut. (12) ævō suō cadavera non sepulta, sed ardentibus focis combusta esse, ad quomodo? duos intra viros semper medium tenebat femellæ corpus & cadaver, ut vel sic à caloribus etiam femininis citius corpora virorum consumerentur. Idem sentiunt Guil. (13) Paris. & ante ipsum (14) Climacus. Tempus si suppeteret, possent hæc quoque sacris è Scripturis elucidari, sed operæ pretium non est, ut inter immodicos femininarum calores plus ultra subsistamus. Hæc *lupas* porrò nec opibus nec pecuniis, nec donis nec lucris saturari, experientia probat quotidiana. Nunquam citius ad incitas devolventur prædivites Cæcsi, quàm si cum *lupis* hæc spuria commercia tractent. Videas hæc modico tempore grandes etiam thesauros ad fundum exhauriri. Julius Firmicus (15) nobilis haruspex pridem advertit, quoties sidus Mercurii, & Veneris sidus una in domo (sic Mathematici loquuntur) vel uno in loco consistunt, & radiis suis rectà defluis natum infantem collustrant, toties nihil boni ominis nato portendit. Cur? ratio audiatur tota: *hæc enim si uno in loco fuerint inventa, totum illius, qui natus fuerit, patrimonium dissipabitur.* Qui sub Mercurio nascuntur, creduntur divites futuri, at si Venus Mercurio societur, & opulentum irruat libido, etiam regales gazæ phtisim patientur, & tandem stupentibus precis vaneſcent. Extat hujus rei clarum paradigma in Script. (16) nunquid prodigus ille *substantiam suam dissipavit vivendo luxuriosè?* ita quidem ut aliis vitæ mediis destitutus cogeretur subulcū agere, & cū porcis quisquillas manducare. Non sine causa *fovea* comparat meretricem sapiens (17) *fovea profunda meretrix est* seu insatiabilis cloaca: quidquid in eam projeceris, inexplibili fundo hauritur Poëta teste:

*Diminuit famam, factis melioribus obstat,  
Exiguo magnas tempore perdit opes.*

Loquatur ante alios omnes famosissimus Herodes, quid lucri ex hoc feminarum commercio reportarit. Habuit secum duas pellices seu *lupas* Herodes, Herodiadem & Salomen. Plus vitæ huic latroni Deus indulſisset, ad incitas redactus esset. Nihil ei pro his *lupis* suffecerat, nulla contributio, nulla pecuniaria mulcta, nulli reditus, nulli census poterant in-  
gluviem

gluuiem satiare lupinam. Nicephorus (18) vocat hæc pro-  
 stibula *Regni charybdes*. Sic vel hodie auri argentique talenta  
 dilapidantur, ubi cypriis amoribus indulgetur. O quoties  
 hæctenus dici potuit: *hem lupa carpit oves! hem lupa mactat*  
*oves!* an hujus lupinæ rapacitatis vivax petitis exemplum? en  
 horridæ voracitatis lupam exhibet in Franconia Herbipolis, ubi  
 ovinæ simplicitatis adolescentulum amica pellex ita evertit,  
 ut anima & corpus ejus cum enormi totius familiæ probro  
 periret. Descripsit totum actum Stengel. (19) cujus libros de  
 Judiciis verè aurò cedroque dignos dixeris, ita hæc judicia  
 ferventer & utiliter bella latinitate nobilis Author proposuit.  
 Miror, nullum hæctenus fuisse, qui tam utiles libros bono  
 publico etiam popularium è Latio in Germaniam transporter.  
 Tanto labori fructus responderet centesimus. Ait Stengelius  
 hæc tragœdiam ipsi an. Christi 1633, ab illo relatam esse,  
 qui à prologo usque ad epilogum totam spectabat, & spectaculi  
 hujus pars magna fuit. Kiblerus in germanicum idioma totum  
 factum transposuit, idque primo tomo speculi sui inseruit, aliam  
 tamen brevem & succinctam coronidém à Stengeliana diversam  
 huic factò imposuit. Crediderim n̄ mis fuisse prolixam, ut sub finè  
 tragœdiam mutilaret. Accingo me operi, tristem & acer-  
 bam historiam seriò auspicaturus.

18) Niceph  
 l. 1. hist.  
 c. 9.

(19) Steng.  
 t. 4. c. 61.

C.

Lupam  
 horribilem  
 exhibuit  
 olim Her-  
 bipolis.  
 Hilt.

Herbipolis urbs est decantatissima & Episcopalis Sedes in  
 Franconia. Anno seculi hujus 30mo ad clavum sedebat Joa-  
 nes Adolphus ab Ehrenberg, Franconiæ Dux & Episcopus; hic  
 alios inter aulæ suæ ephæbos etiam fovit Ernestum sanguine no-  
 bilem & familiæ suæ postremum germen. Commendabat eum  
 ætas flecti cerea, morum suavitas, ardens pietas, præstans in-  
 genium, amor & studium scientiarum, & eximius in literis pro-  
 fectus; his sicut alios omnes multis post se passibus reliquit, ita  
 pariter in se unum omnium oculos omnium affectus attraxit.  
 Familia ejus ex industria tacetur, ut ne toti corpori ex unius  
 membri deformitate grande probrum accrescat. Nihil in hoc  
 virtutis ac scientiis præclaro adolescente desideres, quàm con-  
 stantiam in benè ceptis, in artium ac virtutum studio peren-  
 nitatem. Quid juvat optimè cepisse, nisi etiam finis suo prin-  
 cipio respondeat? Judas bellum fecit exordium, ut jam alibi  
 dictum est, at quàm turpis, quàm execrabilis fuit epilogus jeus?

B b 3

latro

(20) Luc.  
21.

latro contra in crucem actus, pessimæ notæ auspiciū habuit, & finis erat pretiosus: *hodie mecum eris (20) in paradiso*. Hinc pro vitæ nostræ ultimo fine tantis curis angitur Ecclesia mater, ut hunc articulum etiam publicis vellet lytaniis insertum: *in tuo sancto servitio nos corfortare & conservare digneris. Te rogamus audi nos*. Unus ergo finis huic ephæbo defuit. In templis & in Gymnaliis omnis eruditionis ac virtutis prototypo erat ac vivax idæa. At quis utriusque studium ita subito extinxit? id nec pravi socii, nec procaces puellæ, nec ipsi spiritus orcinī consequi poterant. Quis ergo in bono confirmatum adolescentem evertit? commune proverbium est, quò dæmoni non datum est grassari, eò suum quasi facialem mittit rugis inaratam & deformem vetulam. Habuit quidem Ernestus iste Herbipolitanus non emarcidam animum, sed annis & avitata nobilitate conspicuam cognatam, proximo sanguine amicam viduam, quæ amicitia gratiâ suum cognatum sæpius ad adipalem mensam domi extractam invitabat. Placuit viduæ sermo placidus, mores affabrè politi feminæ placuerunt; placuit vultus ad omnem gratiam compositus amicæ. Notavit hæc orcus, & mox ambos inter flammam sufflavit, quam nullus ultra dies exstingueret.

(21) Mich.  
7.

O quàm cautè etiam cum amicis, cum sanguine junctis agendum est, ne inde lues contrahatur immedicabilis. Vere de his dixit (21) Michæas: *inimici hominis domestici ejus*. Sicut ex optimo vino acerrimum prognascitur acetum, sic ex primæ notæ amicis sæpè fatales inimici procreantur. His mensis, his amicæ bellariis tandem fascinatus adolescens, suo à primævo virtutum ac pietatis, industriæ ac literaturæ studio multum remisit, ut planè omnes digitò signarent tot jam gradibus à se ipso distinctum Ernestum. Ex hoc frequenti commercio didicit primum vitra sanitatis & salutis pocula libare cum propriæ salutis enormi detrimento; inde vino fortius assuescere & incallescere cepit, paulò post etiam sermocinationes de bella puella pronis auribus haurire, jocos salaces & oris basia recipere visus, quid multis? formâ captus ipsius amicæ in cognatum suum tam beneficæ amare cepit & amari, carnis & alimontæ turpe mancipium factus, Passabat quidem sic à vidua edo-

Etus lascivientem malitiam suam aliquousque; at cum nihil fictum esse possit diuturnum, brevi tempore fumò prodidit, quæ intus flamma glisceret, in enorme incendium eruptu a. Studuit, preces fudit, & mores præsetulit sat honestos, nemo tamen fuit, qui non diceret à seipso magnis passibus ephæbum abisse: quidquid egit, coactus, compulsus egit, ad oculum servare doctus, remotis arbitris libros respuere, vel nonnisi cyprios in manus sumere, labores rejicere, preces mutilare aut repudiare, tandem largius lutare, cum damulis & rostellis liberius joculari, ac ea posito rubore palam agere notatus, quæ leges passim vindici vulcano transmittunt. Sic factum, ut, qui primas tulit in stoicis, jam pænè ultimæ arcadum faci miseretur. Ab ævo auditum non est, unâ litteris, unâ carnalibus deliciis ex equo vacari.

*Non benè conveniunt, nec in una sede morantur*

*Et Venus & Pallas &c.*

*Nec cubat in molli veneranda scientia lecto.*

S. Chrysofomo (22) teste, *spiritus luxurie magno impetu animos irruens flammam rationis extinguit, & protinus latronis instar in tenebris omnia diripit spoliatque, quæ insus sunt recondita.* Sic latrocinans Venus omnem pietatem & industriam, virtutum ac scientiarum ardens studium profligat, & harum in vicem otium & lusum, sales cyprios & choreas, gulam subrogat & efrontem licentiam, in obvia quævis flagitia gyaris & carcere digna resolutam. Currebat Ernestus ad hanc cognatam suam, quoties licuit, cum ea comessari, ludere, græcari, ac sæpius etiam pernoctare solitus. Hujus amicæ consortiò eò tandem pravitatis præceptus abiit cognatus, ut, qui paulò antè doctus, modestus, temperans, & quasi terrestris Angelus colebatur, jam Veneris & diaboli mancipium, veneficus, homicida, & plurium aliorum seductor audiret. Quæ ergò fuit cognata, cum qua tam arctam imò tam stygiam familiaritatem contraxit? Saga fuit & terribilis trivenefica, hæc nobilis vidua, quæ jam pluribus annis orco mancipata, suo loco sæpè dæmonem Ernesto substituit, eumque ad magorum choreas icertatis vicibus deduxit, ac pari scelerum commercio cognatum impli-

(22) S.  
Chryf.  
hom. 11.  
in 1. ad  
Cor.

implicuit. Ex hoc stygio consortio in tam horridum fluxit labyrinthum, ut inde nunquam ultra emergeret. Satagebat tunc temporis Princeps Adolphus totis viribus, ut hoc infandum & periculi plenum magiæ scelus funditus ex Franconia proferberetur. Exurebat grandibus rogis magiam, & nullo hominum respectu reos ad pœnam sagis decretam trahi volebat zelosissimus Princeps; ita factum, ut magnò numero ardentes inter pyras lamia stygi devotæ cremarentur. Has inter Justitiæ oblatas stryges, tandem etiã de commercio cum styge contracto accusati sunt hi duo cognatus & vidua. Horrebant Judices ad horum nomina urnæ delata, & utrumque seorsim honestiore conclavi abdebant, donec evidens certitudo exploraretur. Non opus erat operosa indagine; mox enim certis & minimè dubiis iisque pluribus indiciis deprehenderunt, utrumque dæmoni arctè mancipatum esse, choreis veneficorum multoties interfuisse, homicidia plura perpetrâsse, plures utriusque sexus pueros & puellas inexecrabile consortium traxisse, ut paribus flagitiis implicati teterrimæ stygi horridam servitutem jurarent. Princeps ut audiit, in tantam scelerum colluviem etiã præcipitem actum esse Ernestum, ephæbum suum sibi præ aliis omnibus dilectum, sublatis in cœlum oculis altum ingemuit, & quod olim Cæsar 24. plagis in Rom. Curia confectus dixit, cùm inter latrones Brutum filium spectâset, suspirans Princeps repetiit: *Et tu Brute fili mi* numerum auge lastronum! & tu Erneste fili mi ex illis es, quos tantis sceleribus contaminatos flagrans rogas exurat? & tu fili mi Erneste, stygi devota dicaris victima? quem de virtute tantoperè dilexi? quem de ingenio, de industria tantoperè suspexi? inclytæ familiæ tuæ laudes & præconia tam tetro fine terminentur! non potuit hæc inter lacrimas reprimere pius Princeps, dolore ac commiseratione tactus, tam præclaram indolem prædam orco cessisse. Cepit inde mox seriò de potentibus remediis consultare, quibus à styge ad cœlos revocaretur Ernestus. Factu optimum credebatur, si juvenis suo in conclavi paternè rogatus ultrò totam, quâ implicitus erat, pravitatem fateretur, torturæ instrumentis tantum eminus ostensis, si contumax flagitia negaret, inde Religiosis curandus daretur & emendandus.

Placuit



Placuit omnibus efficax remedium; adibant deputati conclave illius, ac presenti coram signabant, spargi de ipso indicia sat luculenta, adesse testes oppido graves, argumenta suppetere satis certa, eum stygiæ societati dato nomine orco fidem jurasse, hæc & hæc scelera perpetrasse, Principem verò suam ipsi clementiam his non obstantibus offerre, si modò singula exactè fateri, & seriam vitæ suæ emendationem spondere velit. Juvenis conscientiaë stimulis actus erubuit ocius, & mox ultrò, quidquid sceleris commisisset, candidè detexit, unà signatè aperuit, quibus modis à cognata sua seductus esset; sibi unum id in votis esse, ut tam dira orci servitute potentibus mediis eximeretur. Sic ergò Patrum Societatis curæ commissus, sacris amuletis probè contra stygem munitus, & assiduè rebus divinis exercitus est, lateri ejus semper uno Patre diu noctuque hærente. Vilis est curam omnem pronò animò recipere, ac se totum ad vitæ emendationem componere ephæbus. Dixi non ita pridem, quàm difficile curatu sit luxuriæ scelus, ubi fornicationis consuetudo est contracta; accedat fornicationi magia? propè tota salus dicitur conclamata; & est sanè à libidine proximus in magiam descensus, nullumque hominem deprendes pacto implicitum diabolico, qui non simul etiam lasciviam sectetur; ita sibi mutuo innexa & innodata sunt hæc duo scelera, luxuria & magia. Vigilat utrique totus orcus, ne orcinis è cassibus præda dilabatur, ut ad oculum patet in Ernesto. Quidquid boni animò concepit interdiu, noctu omnibus somnò sepultis iterum præsens Alastor evertit; hic quoties cubiculum subit, primum omnium, quod Ernesto persuaderet, fuit, ut sacra è collo pendula tantisper seponeret; quò factò eum è lecto sustulit, & ad veneficorum choreas abduxit; manè ante quartam eodem in lecto reposuit abductum; hæc tamen nec ita cautè nec ita tacitè bajulus Alastor expedire potuit, ut nocturnos vel vigiles falleret vel visitatores, qui ex incondito strepitu & vacuo lecto resumptam cum orco familiaritatem facile arguebant. Rogatus manè ubi lapsa nocte fuisset? candidè semper non sine lacrimis acta recensuit, & semper unà promisit meliora; at *promissis dives quilibet esse potest*. Verba dabat mellea, factum vix unquam exhibuit. Invitatus à styge

Cc

cessit

cessit toties, ut conclamata propè tota emendatio haberetur. Tentabant pariter aleam suam cum Ernesto Patres Francileani, num fortè ipsi possent mobile pectus firmare, ut toti orco ferium & constantem nuntium remitteret; at cum & hi Patres actum agerent & frustrà sudarent, relatum tandem fuit optimo Principi, in Ernesto ad frugem revocando oleum & operam perdi; consultissimum aded futurum, si quocunque modo è medio tollatur, ne per eum plures in exitium præcipitentur. Horrui Princeps & miseram ephabi sortem gemens & lacrimans indoluit; ne tamen per hunc obstinatum scophantam plures alii seducerentur, eum unà Judicibus juxta justitiæ leges mulctandum transcripsit. Sic altera mox die judiciali ab una sententiâ prodiit, quâ omnium mitissimè gladii beneficio plecteretur. Ratam habuit sententiam Princeps, & ut omnirite fierent, iterum Patribus Societatis jam damnatum commisit, ut mox altero manè circa 7mam reum educerent, & ad fatalem ictum pararent: satius esse, ut citò moriatur, quàm ut toties recidat, & tandem orco cadat victima; quod si vel factè pœniteat, vel ne quidem pœnitentiæ ullius signum exhibeat, iterum satius fore, ut unus pereat, quàm ut plures alios superstes evertat. Vix dies illuxit, Patres circa 7mam conclave ingressi bonum atque omni ex parte beatum diem adhuc plumis detento juveni precabantur; rogatus porrò qui viveret, benè reposuit vivo hodie, at cur præter morem tam manè ad me? nunquid aliud vultis? cui ocius tragica voce Pater, nil aliud mi Erneste, nisi ut melius vivas. Vitam quam hactenus vixisti, misera est vita & propè nulla. Ad meliorem ut animos erigas, precor, imprecor; hæc terrea serius aut citius deseri debet, illa contrà est æterna & inamissibilis æternum. Ejura ergò vitam hactenus exactam, & ad illam te totis viribus compara, ad quam fortè brevi migrandum &c. invitatus inde ut cum illis arcem peteret, vestes raptim induit, & intrepidus arcem repetiit. Erat in arce recens conclave, in quo theatrum erat, nigro undique pannò velatum. Hoc pegerat ut vidit, cui unà severi assederant Radamanthi, repente confternatus toto cepit corpore concuti, tremere, sudare; cum proximo in angulo ferrum cerneret à carnifice nudari, omninò

fuge-

fugere & miserum in morem clamare cepit & discursare, iterum iterumque clementiam rogare, & certam morum correctionem spondere. Movit hæc mutatio Judices, ut ipsi Principem pro rei vita implorarent. Sic ad pristinum conclave reductus omnes gaudiò replevit, persuasos, jam eum alios mores certò representaturum. Post aliquot dies virum gravem ac prudentem è suis misit Princeps, qui ephebo constantiam in bono persuaderet, sic eum antiquo apud Principem loco futurum; interim tamen & orcus suas strenuè partes obiit, ut variis clanculo illecebris irretitus orco juratam fidem probaret; hinc factum, ut Principis Legatum inter alia his formalibus exciperet: mi domine, non credit, quàm deliciosè nostris in conventiculis vivatur; vidisset dominus, quæ ego vidi, idem fieret qui ego sum, & ego talis, si non essem, hodie talis fierem. En genium luxuriôsæ magiæ flecti ferreum, adamantinum. Sic suos falsis bellariis ad mortem usque orcus dementat, quibus jam certam immunitatem promittit, jam cælum ostendit phantasticum, jam mortem omnis cruciatùs expertem condicit. His fidenter relatis, Princeps jure iratus spe omni abjecta, ocius reduci jussit ad ferale pegma contumacem, ubi frustrà seriam ad pœnitentiã animatus inter efferos clamores & discursationes, tandem ictum accepit letalem, sine ullo doloris signo, sine ullo pietatis argumento humi lapsus funus, viduã mortis causã multò antè justis ignibus expiatã.

Hæc tragica est historia à me obiter & perpaucis recensita; si enim singula jubeor enucleare, dies non sufficiat. Hinc patet primò quid in oviculas possit efrænis lupa. Hinc iterum clarescit, quàm periculosa sit pueris familiaritas etiam cum probis feminis contracta. Nemo dicat sororias esse oratrices, quas domi visitas; hæc lupa omnem pietatem foris exhibuit, neque ocius prima vice cognatum suum ad improbum scelus pellexit; novit illa tempori servire, loqui etiam sacra cum sacerarum amante cognato, donec sensim sine sensu spiritus ille carneus illaberetur, qui omne bonum imis è præcordiis proscriberet; frequentabat hæc lupa sacras ædes, quò ipso etiam ab orco sagæ instigantur, ut tantò minùs de pravo commercio fiant suspectæ, quantò fusiùs sacros intra parietes precibus vacant.

cant. Pietas hæc larvata etiam per dæmones hac in vidua urgebatur, cum tamen in finem, ut per sacrilegam synaxin læpius orco cederet præda, Venerabilis Hostia; huc omnes illi dæmones collimant, quos passim hodie *pios damunculos* nuncupant, qui maximè feminas docent pharisaicam pietatem, ne videantur esse, quæ sunt. De hac vidua, veri nominis *lupa*, quæ Ernestum seduxit, nemo mortalium Herbipoli simile flagitium somniabat, interim sagas inter chorum duxit, lemurum & lamiarum coryphæa, per quam non unus tantum Ernestus, sed plures aliæ innocuæ oves raptæ sunt & deperditæ. Nemo dicat, tantum esse cognatam, amicam, consanguineam tuam, cum qua liberius conversaris, & hinc nascitur sapientis scintilla, quæ incendium pariat nullo mari extinguendum. Ah si familiaritas cum cognatis contracta suo non caret periculo, quam periculosa erit illa, quæ contrahitur cum aliena? quid multis? periculosa plenum aleæ opus est, utut sumas, si pueri puellis nimis reddantur familiares, aut nimis frequenter etiam adultis serviant amici. Procul ab igne removeatur stramen aridum. Scimus ipsos etiam liberos à propriis parentibus seductos esse, ut proximis paulò post Dominicis audiemus; cur ergò aliis sine discrimine cæca fides deferatur? Tandem hinc apparet, quàm gradatim ab uno scelere in aliud & aliud flagitium ruatur, ab esu & potu ad lusum, ad choreas, à levibus jocis ad sales fescenninos, ab impudicis sermocinationibus ad nefasum opus, à luxuria in magiam, ab his tandem in probrosum ac scelerum omnium interminabilem abyssum, in focum nullo ævò extingubilem, in æviternam damnationem &c. à qua nos D. T. O. M. clementissimè præservet! Amen.



CONC.